

æquatoris, meridiano & horizonte obliquo interceptos, in æquales portiones tres, & per puncta sectionum ducit 4. circulos magnos meridiano ac horizonti concurrentes in earum duabus sectionibus. Tales itaq; sex circuli, assumptis scilicet meridiano & horizonte, totum cœlum in 12. spacia partiuntur, quæ domus cœli nuncupantur, Pro æquatione igitur domorum rationabili, ita procedas in reliquis 8. domibus definiendis, gradum primi cardinis seu ascendentem, quem unâ cum tribus reliquis angularibus gradibus trium præcedentium capitum 48. 49. & 50. dogmate agnosces, loca directe ad horizontem ex parte orientali, seruando globum ita immotum: deinde eleua circulum positionis ad 30. gradum circuli æquinoctialis, à contactu eius cum horizonte, uersus armillam meridianam computando, & quemcunq; gradum Zodiaci idem circulus positionis ferierit, ille initiũ 12. domus existit, & gradus Zodiaci illi oppositus, initium 6. domus sibi uendicat, postea loca circuli positionis ad gradum æquatoris 60. ab horizonte ascendendo, & idem circulus positionis ostendet tibi in ecliptica initium undecimæ domus, cuius punctus oppositus initium quintæ domus definiet. Nonagesimus demum gradus æquatoris, ab eodem horizonte ascendendo numeratus, mediante circulo positionis, gradum signi medium cœli constituentis, indicabit, quem etiam supra ex doctrina 48. capituli cognoscere licuit. Centesimus atq; uigesimus deniq; æquatoris gradus ab oriente, uel sexagesimus ab occidente, pari ratione initium nonæ domus præstabit, cuius etiam oppositus gradus initium tertix domus patefaciet. Quinquagesimus postremo supra centesimum æquatoris gradus ab horizonte orientali, uel trigelimus ab eiusdem parte occidentali, iuxta tactum circuli positionis, initium octauæ domus tibi in ecliptica præbebunt, cuius gradus oppositus initium secundæ domus determinabit. Vel aliter: Globo ita in gradu ascendentis firmiter quiescente, notabis extra ad abacum gradus ascensionis obliquæ ascendentis, de qua ascensione tolle gradus 30. & super numerum graduum remanentium pone circulum positionis, & gradus eclipticæ sic à circulo positionis tactus, erit initium duodecimæ domus. Sic etiam eodem ordine initia reliquarum domorum inuenies, semper subtrahendo 30. gradus à numero remanente, per quem initium domus immediate præcedentis inueniebas. Exempli gratia: Sit 18. grad. Arietis ascendens, cuius ascensio obliqua 6. ferret graduum, quemadmodum hic subscriptum uides,

368 Ascensio obliqua		18 Arietis	1 domus	
30 Ascendentis.				Ex opposi-
338 Ascensio obliqua		20 Aquarij	12 domus	titis signis
30 12. domus.				sub huius-
308 Ascensio obliqua	Quare medi-	23 Capricor	11 domus	modi gra-
30 11. domus.	ante circulo	ni		dibus ha-
278 Ascensio recta	positionis re-	7 Capricor.	10 domus	bebis reli-
30 medij cœli.	perio			quas 6 doe-
248 Ascensio obliqua		23 Sagittarij	9 domus	mos.
30 9. domus				
218 Ascensio obliqua		25 Sagittarij	8 domus	
octauæ domus				

Domos 8. cœli aliter, ac secundum modum communem uetustis Astrologis usitatissimum, huius globi adiutorio constituere.

CAPVT LIII.

Hunc